

1229.

[m. 5.]

*De licentia mercatoris.*—Stephanus Reymundi, mercator, pro se et hominibus suis, habet literas de licentia quod salvo et sine impedimento veniat in Angliam cum rebus et mercandisis suis ad negociandum ibidem, et moretur et recedat, faciendo etc. usque ad festum Sancti Michaelis anno etc. xiiij. Teste rege, apud Sanctum Neotum, xxviiij die Julii. Per regem et justiciarium.

Consimiles literas habet Petrus Cucu, mercator, Galfridus de Calcade. Per eosdem.

*Hibernia: pro justiciario Hibernie.*—Rex concessit Ricardo de Burgo, justiciario Hibernie, quantum ad eum pertinet, domum cum pertinenciis suis quam Willelmus Norensis tenuit de rege in Waterford, reddendo per annum ad Scaccarium Dublinie sex denarios. In cujus etc. Teste ut supra.

*Pro L. capellano.*—Rex concessit L. decano Sancti Martini Londonie feodum dimidii militis cum pertinenciis quod Rogerus de Thorpel, filius et heres Rogeri de Thorpel, tenuit de rege in capite in Henxtinton, habendum et tenendum usque ad legitimam etatem heredis ipsius Rogeri. In cujus etc. Teste rege, apud Sanctum Neotum, xxviiij die Julii.

*Pro Mauritio de Gaunt de castro suo de Beverestan.*—Rex omnibus ad quos presentes litere pervenerint, salutem. Sciatis quod concessimus pro nobis et heredibus nostris dilecto et fideli nostro Mauritio de Gaunt et heredibus suis, quod castrum suum quod firmari fecit apud manerium suum de Beverestan, stet et remaneat inperpetuum ibidem prout nunc firmatum est. In cujus etc. fieri fecimus. Teste rege, apud Sanctum Neotum, xxix die Julii, anno etc. xiiij. Per H. de Burgo etc.

*Pro mercatoribus.*—Dominus rex concessit et licentiam dedit quod navis Willelmi le Wynnun et Radulfi de Mesnil, que vocatur *La Fere*, quam Matheus Bygan ducit, salvo et secure veniat in terram et potestatem domini regis cum rebus, catallis et mercandisis predictorum Willelmi et Radulfi ad negociandum ibidem, faciendo inde rectas et debitas consuetudines, et salvo ibidem moretur et salvo inde recedat. Et durent littere usque ad Pascha anno regni domini regis xiiij. Teste rege, apud Sanctum Neotum, xxix die Julii, anno regni domini regis xiiij. Per Philippum de Albinaco.

Eodem modo scribitur:—

De nave Bohuni et Willelmi le Terrer de Barbefle, quam idem Bohunus ducit.

De nave Ricardi filii Ranulfi et Willelmi le Wynnun que vocatur *La Dameisele*, quam Galfridus le Graund de Barbefle ducit.

De nave Ricardi filii Ranulfi et Philippi de Bulemer que vocatur *Le Holoc Sancte Marie*, quam Robertus filius Serlonis de Barbefle ducit.